Cracoviensis Stud. Univ. Jag.
Promotiones Philos. Ord.
1644, 18 Martii 1.

Kroczowski Hyacinthi: Rosetum d. Jagellonis.

ROSETVM D. IAGELLONIS

EX QVO,

APOLLO SARMATICVS,

Rosarum amœnos Flores

DECERPTOS,

SERTISq; ACADEMICIS

INTERTEXTOS,

VENERABILIBVS XV. DD.

Artium & Philosophiæ BACCALAVREIS

IN PRÆMIVM LITERATORVM LABORVM

Per Excell: ac Doctiß: Dominum,

M. ANDREAM LIPNICIVM

Collegam Minor: Ord. Eloquentiæ Profess.

XVIII. Martij RENVNCIATIS.

Ad numeros Poëticos, Venerabilis

HYACINTHI KROCZOWSKI.

Eiusdem Promotionis, Artium & Phiæ Bacc.

ELARGITVS EST.

CRACOVIÆ In Officina Valeriani Piatkowski. 1644

IN STEMMA



Dum Phœbus Cracios lauri dispensat honores,
Adstat rite Tuæ, nobile stemma rosæ,
Magne KROLIKOWSKI: *Quippe isthic serta parã*{*tur*
Laurea; serta etiam dat rosa flore suo.
Ergo Sarmaticus, lauri si pauper Apollo est,
Flore KROLIKOVII, *nectere serta potest.*

Illustri & Admo: Rñdo. Domino,

D. GREGORIO KROLIKOWSKI,

Decano & Officiali Sandecensi, Plebano Dobczyceñ: Grybouieñ. &c.

Dño & Anunculo longè beneficentiss.

IN referendâ gratia pro acceptis beneficiis non tam esse verbosam vel calamistris intertextam perpendendam dictionem, quàm intimi animi gratam denunciationem ponderandam, meritò prudentissimus quisq; iudicio, aut naturâ optimus iudicabit. Quippe non semper satis eloquens quicũq; gratissimus est, nec in volubilitate linguæ, sed in pretio mentis beneficium melius conquiescit. Enimuero si mihi nullũ aliud esset officium, in omni vita reliquum, nisi vt erga Te Illrũ ac Admodum Rñde Dñe, Mecœnas fortunæ meæ longè amplissime, satis gratus iudicarer, tamen exiguum reliquæ vitæ tempus non modò ad referendam, verùm etiã ad commemorandam gratiam mihi relictum putarem. Ita planè fit, vt in voluptate doleam, in lætitia extimescam, in timore probem industriam, cum ex ingenti quodam immensoq; campo videam, meam, in acceptis à Te beneficijs exornandis, grati animi significationem, in exiguum hunc tẽporis gyrum esse compulsam. Sed si insignia Tua in me literasq; meas merita commemorare, ob angustias temporis neglexissem, ingratus; si prædicare destitissem, elinguis; Si in conspectum docti Lycei producere dubitassem, excors meritò dici & haberi possem. Cum nihil mihi accidere poterat, vel hoc tempore optabilius, vel in hac mea ætate honorificentius, vel ad eam quam de me ipso apud doctissimos viros opinionem concitassem, non modò confirmandam, verum etiam augendam præstabilius, quàm omnem fructum & profectum meum, quem ex laboribus in palæstra Academica retulissem, Tibi me luce palam Adm̃ Rñde Dñe in acceptis referre. Nam quoad longissimè potest mens mea respicere spatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari vltimam, inde vsq; repetens, Te video mihi principem & ad suscipiendam & ad ingrediendam rationem,

Tu in progressu ætatis Phœnix extitisti; qui me non solùm laboriosè, quæ recta sunt eloqui, sed etiam libenter facere docuisti. Itaq; ego è castris Mineruæ, nunquam discessi; nunquam Phalanges Achillis secutus sum, Musarum cultor & alumnus in Parnasso Academico flores eruditionis decerpsi Tuis Gentilitiis Rosis recreatus, Tuiq; roseti impulsus odore, id est integerrimæ vitæ exemplo, eximia eruditione, singulari rerum agendarum dexteritate, ad imitationem virtutum & meritorum excitatus. Et quanquam nullum adhuc in hac mea ætate operæ precium feci, satis tamen me respondere posse officio putaui, si Tuis monitis ac consiliis obsequentissimus in hac luce publicâ Athenæi Academici comparerem. Nam Te quoq; Illris & Adm. Rnd Dne. Lunatæ Crucis Szyskowianæ olim amœnissima lux afflauit, vt in Ecclesiæ theatro publicis laboribus perferendis prodromus industrius feliciter excurreres; Decanus porro atq; Officialis Sandecensis, quos & quantos pro bono Religionis promouendo labores sustinueris, infinitis aliis omissis testimoniis, vel illa integerrima, Skarszowiana, grauissima Zadziciana, & nunc tandem Illustriss. ac Rndiss. Petri Gębicii, Antistitis vigilantiss. Academiæ Cancellarij longè fauentiss, summo consensu in orbē producta, testimonia approbarunt. Quoniā igitur propensam & intimā Studiorum meorū propagationem suscepisti Adm. Rn. Auunculè libenter laborem meum omnē, atq; industriam, vicissim ad amplitudinem virtutum Tuarum, si non illustrandam & imitandam conferā daboq; operam diligentem, vt ad minimum Tuum nutum authoritatemq; obsequio, industriâ, assiduitate, me videar conformasse. In referenda verò gratia, hoc tibi Adm. Rnde Mecœnas repromitto, semperq; præstabo, mihi neq; in laboribus Academicis diligentiam, neq; in promouendo communi Reipub. literariæ bono fidem, neq; in Tuo propugnando honore promptitudinem, neq; in accessione Tuorum erga me meritorum gratam animi beneuolentiam defuturam: quam quidem excellentem meritorum Tuorū colam memoriam, non solum dum animi superabo meâ, sed etiam cum mortuo, monumenta Tuorū in me beneficiorum permanebunt. Quapropter hoc leuidense & depropero impetu effusum lucubrationis Symbolū, quod exilis nec bene polita Musa mea & ingenium ferre potuit peramœno animo, quo ipsas Camœnas soles intueri, inspice, meq; Tuo vt cepisti fauore complectere. Datum in Collegio D. D. Iurisp. è Museo Clarissimi & Adm. Rnd. Domini Laurentij Alphonsi Karynski I. V. D. ac Professoris. Die Sancti Gregorij. A. D. 1644.

EIDEM MECOENATI AMPLISSIMO.

At ô ſupreme Numinum, fauentior
Qui literatos intueris Sarmatas!
Vnquam ne eras amantior meo arbiter
Datus labori? quippe dum iuga ſcādimus
Scientiarum, laureas & ardui
Naulum laboris & Mineruæ prendimus;
En ecce Cleri Magna Magni portio,
Meum iuuamen grande KROLIKOWIVS
Centoculus Argus æquitatis, & meæ
Ductor puertiæ; ardui certaminis
Spectator adſtat, atq; noſtris laureis,
Roſarũ odorẽ candidæ immiſcet domus,
Suo & reuincit dona Matris ſtemmate.
Quiſquam ne tibi propẽſionẽ hāc aude
Remvnerari, quā indicas Academicis (at
O KROLIKOWSKI? Maximos inter mihi
Venerande Miſtes, Fata quem mi auũculũ
Scripſere fauſta, ſic volente Numine.
Terror Philippi, ſuauis ille Demoſthenes,
Dum muſſat illi vilis ore vernula
Hic ille præterit ęloquęns *Demoſthenes*;

Imo

Imo calentes ſenſerat ſub artubus
Laudis fauillas. O quis hoc in tramite
Det mî benigna ſenſa iudicij Tui,
Et vel latentis animi in alto pectore
Plauſum exigere? ſed eſſe Te Teſtem mei
Sat eſt honoris. pone & inclitum ſacri
Iuris patronum, ſcilicet KARINSCIVM.
Alphonſus ille eſt, fulciens Muſis meam
Atlas iuuentam: quem ſacrorum altaria
Amant litantem, & exedra repoſcit ſibi
Legum magiſtrũ. ô bene reuincta lumina
Tantoq; iuncta! Nec deeſt BVRSZEVICIVS,
Themis volumina iurium cûi credidit,
Legumq; nodos Gordios diſcindere,
Nulli ſecundus Laureæ fautor meæ.
Vos ergo trina laureæ decora meæ
Teſtes & eſtis. Viuite atq; honoribus
Laboribuſq; meis perennate auſpices,
Bene ominato mihi ligati fædere (tur
Haud facilè nodus quippe triplex ſolui-

Illuſtris et Adm̃ Rndæ Dominationis Tuę
Cliens humillimus
& ad
Omnia Officiorum genera promptiſsimus,
HYACINTHVS KROCZOWSKI,
Art. et Philoſophiæ Baccal:

ODE I.
TRICOLOS TETRASTROPHOS.
V. D. SYLVESTRO VRBANO WIC.

QVis æquus isthic constituit tuos
Iudex labores? scilicet inclitus
Vt laureatæ Dux cateruæ
In stadio præeas Mineruæ.

O VRBANOWIC! sorsne fauentior
Prouexit huc te? primus in exedram.
Quod tendis altam, quam labores
Et vigiles peperêre curæ?

At esse sorti non valet inuidæ
Subiecta virtus: Musaq; celsior
Est sorte quauis, quæ nutriuit
Teq; tuos studijs & annos.

Hæc te Corymbi, fecit, & ordinis
Nostri priorem, hæc & Lechicis tua
Ramis beauit tempora, atq;
Ire tibi dedit ante cunctos.

Sed non coquemus pectora sordido
Liuoris igni. Quin meritum Tibi,
Non abnuentes gratulamur
Lumen Apollineum vniuersi.

Fauente cælo, quare age, prosperos
Molire passus, Ductor & agmini
Nostro Leo sis Nam Leonem
Ipse Ducem cupit esse ceruus.

O qui

ODE II.

DICOLOS DISTROPHOS.

V. D. ALBERTO WROBLEWSKI.

O cui patria contigit
Nullâ deterior Sarmatico ambitu, et
Claris nominibus virûm, et
Virtutum studio: quamq; potentiûs
Ornat recti amor et boni.
Te vel sola equidem nomina Patriæ,
Ad virtutis iter valent,
Et recti studium, ducere, feruidum.
I Phœbo Duce et Auspice:
Illorumq; gradus nauiter imprime,
Quos olim popularibus
Exemptos studijs. Varca creauerat,
Specta Belcinij iubar,
Quem Olim stupuit Russa Leopolis,
Cleri suaue decus sui.
Atqui et Camenecum, Thracibus horridũ
Varcensi nituit face.
Cleri sacra decus, quippe ibi cinxerat
Illo climate proditum.
Horum Tu radijs, consequere excitus
Et clarum preme tramitem,
Et lauri radios adde Academicæ.
O cui patria contigit
Nullâ deterior Sarmatico ambitu.

Læ-

ODE III.
TRICOLOS TETRASTROPHOS.
V. D. IOANNI WOYNARSKI.

Fauêre castâ terrigenis face
Lucis datores, & radio sui
Vultus micabant puriori,
Dum superûm ordo Deûm sub auras
Te destinaret, fataq́; mobiles
Iam tum repressêre imperij sui
Vices, & almus rector axis
Ipse Tuæ studium regebat
Vitæ futurum. Lubrica scilicet
Non te medullis vrit in intimis
Fortuna, frustra Teq́; Syren
Conditione capit dolosâ.
Nam Te decorum moribus optimis,
Et pulchra Craci laurea vendicat,
Quò pulchriori colligatus
Pulcher honor niteat decore.
Sed nec Mineruæ munera prosperæ,
Obscuriori claudis in otio:
Quin æstimandum illud monile
Palladis in stadio reponis.
Floresce tanti iudicij bonus
Faberq́; facti. Moribus addito
Lauri nitorem, ritè iuncto
Pulcher honos adolescit ostro.

O D E IV.
DICOLOS DISTROPHOS.
V. D. VALENTINO GNIEWISZ.

Siue Tuas voces patrię Pater eloquentię q;
Captaret vnquam tersiore mente;
Dicta equidem linguę proprię tua diceret reposta,
Suoq; prorsus pullulare ab ore:
Siue Tui flueret pulcherrima pectoris propago;
Nodos sophorum Gordios loquentis;
Inq; sacris Magni requiesceret auribus Platonis,
Paßura limam iudicis politi;
Jlle etiam propriam discurrere diceret Camęnam,
Sedemq; fixiße in Tuo receßu.
Tantis Musa potens Tua pectora dotibus beauit,
Egreßa nondum tramitem iuuentę. (rem
Laurea pulchra quibus succedit, et applicat nito-
Bonis, locauit prima quas origo:
Et stimulos subdit, menti quoq; murmurat, venu-
Sit quãta Recti, lumen atq; Honesti. (stas
Hęc Tu si pergis dictamina subsequi libens, et
Persuasioni facta complicare;
Iam pręsagus auet Te dicere Phębus, eruditę
Turbę futurum lumen, et Coronam.
Et iam maiores Clio Tibi destinat Corymbos.
Lucem sed istam ne sine impolitam.
Arma ex aßiduo Mauortia splendicant labore;
Ærugo ferrum mordet otiosum. (ast

Sua-

ODE V.
DICOLOS DISTROPHOS.
V. D. IOAN. FRANC. TREMBICKI.

Suauiùs ex ipſo lÿmphæ quod fonte bibantur,
    Tua TREMBICI deprædicat ſententia.
Nam Te iam varij Phæbi vidêre pênates,
    Agon nec vnus Tua ſtupens certamina.
Ingenij celebris, Tibi præmia clara notabat,
    Nec Cirrha lauros dare volebat vnica.
At tu non temerè ſapienti mente putabas,
    Ex fonte lÿmphas dulciores currere.
Hinc Phæbus, Muſæq; Craci noctesq; dieſq;
    Ad vera candidi laboris præmia
Te traxere Tui: nec Tu poſuiſſe lupatos
    Iam miles alibi bonus valebas pectori.
Immò vt iuratus Troiæ bellator Vlyſſes,
    Per vaſta tendit dum Charybdis marmora;
Et vigil & ſomnos in dulces membra ſolutus,
    Caſtæ intuetur ora cara coniugis,,
Nonq; illum thalamo, nec Circe torua veneno,
    Deitate nec Calipſo Nÿmpha detinet.
Sic Te Sarmaticæ lauri pulcherrima cura,
    Liquiſſe cogebat minora præmia.
Virtus quippe ambit ſublimia dona labori.
    At non Apollo noſter illibens Tuo
Illa refert genio. Tu iam quæſita capeſſe
    Tantâ parente digna proles TREMBICI.

ODE VI.

DICOLOS DISTROPHOS.

V. D. IACOBO BIELSKI DIACONO.

Sculpenda cęlo et imo habenda pectore
Plato Sophorum ſceptriger,
Choriq; ſapientum ęuiternum, et vnicum
Decus, reliquit dogmata.
Virtutis almę ſplendicare cęlicam
In ore lucem, candido.
An non abundè hoc ipſe cunctis laureâ
Pręclare ô BIELSKI *indicas?*
Dum ſponſa Chriſti, te ſuę vix vineę
Pręfecit, et mox Cracius
Apollo quoq; ſuo reponit agmine.
Sic pulchra virtus omnium
Amore fibras vrit internas ſui,
Ad diligendumq; allicit.
Capeſſe tanta ſigna amoris ignei,
Capeſſe paſſis brachijs:
Phęboq; trade Te, ſimulq; Eccleſię.
Sic pulchra iunges lumina
Auri Pyropo! ſic meabit ęquore
Propulſa bino, flamine
Carina Tua: binâq; ſic per ęthera
Pennâ volabis fortior,
Olimq; vitę vſu biformi obaudies,
Foro choroq; nobilis.

O quæ

ODE VII.
DICOLOS TETRASTROPHOS.
V. D. ANDREÆ DVDKIEWIC DIACONO.

O quæ Castaliæ rura perambulas,
Parnassiq; nemus carmine recreas,
Phæbi castus amor, gloria nobilis
Musarumq; iubar chori.
Huc o syluicolas linquere gestiens
Huc, Clio Zephyri tergore considens,
Pronis accelera gressibus, huc vbi
Virtus laurea diuidit
Pallori & studijs dona Polonicis,
Et gratos iuuenes laureolis beat;
Quos inter celebris pectore & indole
DVDKIEVICIVS eminet.
Hunc Tu Sarmatias differ in vltimas,
Narra impensa bonæ tempora Palladi,
Et recti studium (conscia scilicet)
Hunno diuide Carpatho.
Atqui & promeritis laudibus addito
Donum. Tu viridem pollice candido,
Laurum Castaliæ deripe filiam,
Sacro, & ponito vertici
Hanc DVDKIEVICII, Quippe decet sacrum
Tangat sacra caput non nisi dextera,
Nec dilecta sacris plebs popularibus
Tractet tanta negotia.

ODE VIII.

DICOLOS DISTROPHOS.

V. D. STEPHANO GOSCKI.

Vnda salutiferi fontis, cur nomine tanto
Te dedit eximium?
Martyris, an rara vt maneat patientia virtus
Pectore sculpta tuo?
An ne Tuę menti, cognomina magna, labores
Martyris egregios
Cōmemorāt? quibus haud deses sua colla, priusquā
Scanderet alta poli
Depreßit? quid enim pulchri sudoribus absq;
Quisq; tenere poteſt?
Grande Tibi Lauri Phębus dat munus; at iſtud
Nonne labore tenes?
Ergo qui Stephanum dixit Te fonte sacrato,
Protinus ille Tibi,
Sarmaticę dandum lauri Stephanoma canebat.
Nominis augurio,
Gaude ergo vero. Aſt illud te voluere fas eſt
Pectore sollicito.
Vt qui laureolę a Musis Stephanoma tuliſti
Sis ſtephanoma Sibi.
Scilicet hoc gratum Stephani cognomen, honoris
Atq; laboris habet
Coniunctam mentem. Tu ergo Stephanomatis vnus
Nomen et omen habes.

Feli-

ODE IX.
TRICOLOS TETRASTOPHOS.
V. D. ALBERTO ORZESZKO.

Feliciori principio, ſolet
Fœtus ſub auras, dicere proditos
Natura Mater, ſi fideli
Tramite eant, imitentûr atq;
Callem parentum: ſic Catulus ſuum
Paruus Leonem conſequitur, cibos
Fortiſq; ſectatur cruentos,
Ingenium Patris æmulatus.
Tenella priſcum greſsibus impetunt
Virgulta truncum: ſurculus orbitam
Radicis haud linquit tenellus,
Principij bonus ipſe cultor.
Phæbea gratos dum Tibi Laurea
Cingit capillos; Te quoq; perdecet
Non erubeſcendas Tuorum
Ire vias, probitatis atq;.
Nunc ecce laurus nobilis additur
Tibi, parens & clara Academia,
Dat fauſta primo verba honori,
Atq; bonum tribuit labori
Omen futuro: narrat & optimas
Partes Honeſti, moribus in bonis
Hos æmulari, ſanguinis quos
Iura tibi dederunt præire.

Dum

ODE X.
TRICOLOS TETRASTROPHOS.
V. D. STANISLAO NIEDZIAłKOWIC.

Dum Tauri facibus cornua feruidis,
Lucis progenitor câlfacit, et sinum
Terrę soluit Aprilis,
Pandens munera florea;
Ibat Phæbus agros visere Chloridis,
Et Pestana soli iugera cernere,
Et dum iactat ocellum, in
Florum prata virentia,
Reginasq; rosas, lilia et vuida;
Et gratas violarum, atq; Amaranticas
Meßes obstupet; ecce
Phæbo Tu quoq; cerneris
Inter diuitias candidus hortuli:
Et iam Te ex nitidis floribus vnicum
Florę diceret eße,
Sed cum laurea, vertice
Fulsit pulchra Tuo; dicere maluit
Te laurum eße suę Palladis arduam
SANDECENSE *decusq;,*
Et magnę Patrię iubar
Quòd si tanta Tuę laurea prima dat
Virtuti et studijs omina; pergito
Gnauo implere labore
Vatis ne minuas fidem.

ODE XI.

DICOLOS DISTROPHOS.

V. D. IOANNI NIKLASZOWSKI.

Rara est Sabæo fulua Phænix climate,
Solis calori proxima,
Stricto paterni niduli immoriens lari,
Reduxq; rursum viuere.
Vetusta, sed, multisq; congesta vsibus,
Iuueni comes constantia,
Maturiores & colore candido,
Mores notati & optimi
Sunt rariores: vixq; tota secula
Numerare possunt vnicum;
Fortuna cui benigna sic arriserit,
Senilis vt prudentia
Florem iuuentæ, socia adornaret suum.
Tibi virentis seculi, &
Viroris almi succinit vigor, comes
Venæ feracis ingenI.
His tersiori si ligaris flosculos
Constantiæ redimiculo,
Morumq;, Phæbo, laureâq; qui sient
Digni; quid ô venustius
Te NIKLASOVI. Gratiùs quippe afficit
Virtus venusti corporis,
Tu vt ista fortior labores vincula;
Tuam intuere lauream.

ODE XII.
TRICOLOS TETRASTROPHOS.
V. D. STANISLAO GRVDOWIC.

Cum bruma tandem ſoluitur acrior,
Et purioris munera luminis
Poſt triſtiores Phębus horas
Terrigenis vehit, et calorem;
Ales ferendis fulminibus Iouis
Dicata, prodit, moxq; volatibus,
Circa altioris culmen aurę
Jnuigilat, patris ęmulator.
Sic Tu GRVDOWIC, *quādo pueftię*
Ceſsēre nubes, verq; nitentius
Venit Iuuentę, dumq; Aprilis
Sepoſitos reuocat calores,
Ad celſa magni viribus ingenI
Luctaris, et magnę penetralia,
Virtutis, auſu pulchriori
Sepoſitum cupis ire collem:
Huc quippe ducit Te *Polihymnia*
Dum laureatis ornat honoribus
Tuos labores, et propagat
Jngenium teneris ſub annis,
His nixus alis ocyor euola,
Et fige ocellos ſolis in ignibus,
Hoc parta laurus vult labore,
Jngenium minimèq; pauper.

Acqui

ODE XIII.
DICOLOS DISTROPHOS.
V. D. ANDREÆ ZAWOCKI.

Sulcat Aristippus dũ pandis nauibus æquor,
Atq; remota soli
Appetit; en forti Neptuni regna vadosi
Quando rudente secat;
Æolij fratres, rabidas glomerare procellas
Perniciemq; viro
Instaurant, pauidam dissoluunt atq; carinã.
In Rhodias igitur
Semianimis, postquã sapiens descẽdit arenas
Protinus ecce videt
Signa per extentũ littus descripta Mathesis.
Ergo ait! ô superi,
Hîc quoq; non video, sæuissima bruta, politi
Ast habitant homines.
Huc Te ZAWOCKI superûm bona fata tulêre, in
Littora Sarmatiæ,
Vistula toruus vbi meliores explicat vndas,
Palladis atq; viros,
In calido Syry torrentis recreat æstu.
Quam bona fata igitur?
In tantum Phæbi quæ te traxêre Lyceum,
Palladis arte potens:
Atq; vbi non scribit vestigia sola Mathesis
Sed simul & probitas.

ODE XIV.
DICOLOS TETRASTROPHOS.
V. D. STANISLAO NOWAKOWIC.

Phębe Musarum comes, et venusti
Arbiter metri, cui dedicantur
Rura Parnassi, *Cracię facitq;*
Sacra Juuentus.
Si Lechi doctum penetral vetusti,
Et polis sacri Iagelonis ędem,
Quodq; VLADISLAVS *fouet, haud iniquus*
Limen abhores;
Huc serenantis Zephyri quadrigâ
Esto, Tu nostrę columen cateruę,
Laureę magnus niueiq; honoris
Author et auspex.
Terminat *nostrum* NOVAKOVIC *ecce*
Agmen, illi Tu propera virentes
Vena quas mentis generosa poscit;
Nectere lauros?
Addit ornamen locus occupanti.
Sed magis virtus nitet, et venustum
Proijcit *lumen proprio nitore, et*
Absq; curuli.
Illa nam semper bene commodatos
Respuit fucos, nec amęna pingit
Lucis externę radijs, doloso et
Ora colore.

A C R O A M A
V. D. HYACINTHO KROCZOWSKI
Artium et Philosophię Bacc.

Dum socijs præstas laudata Encomia Musæ,
Dum studij fructum, fers Hyacinthe tui.
Quis mihi tot līguas, lætæ, &, modulamina mentis
Conferet, Ambrosios quos parit Hybla fauos,
O vtinam Archilochus mihi suppeditaret Iambos
Queis proferre queam, gaudia quanta gero.
En tua fama replet Parnasi culmina montis,
Et doctrina tua est, ingeniumq; sagax.
Laude Tua celebri, meruisti laurea serta,
Dignus eras tantus, cûi tribuatur honor.
Te referent Musæ Kroczovi in culmen honorum
Dum cælum stellas, dum, vehet amnis aquas.
Accipe pignus amicitiæ, valeasq; per æuum.
Nulla timet, Musis, secula partus honos.

Iacobus Stanislaus Medoniowic
Artium & Philosophiæ Baccalr amorū ergo

MELOS PLAVSIBILE
Quod,
VALENTINVS GNIEWISZ, Artium & Philosophiæ Bacc.

A V T H O R I
Concinno magis affectus moderamine, quam metri modulamine,

L V S I T

Nunc, nunc Fatidici numen Apollinis,
Nunc ſplendens rutilo Cynthia lumine,
Surgat: Caſtalijs, nunc, ſacra culmina
Parnaſsi, fluitent, ipſa, liquoribus,
Claro KROCZOVIO. verticis Aonij
(Phæbi Chryſocomi lumina ſplendida)
Muſæ, ferte pedes: en Helicon tonat
Muſarum; reſonant Harmoniam Scholis
Nymphæ doctiſonam; celſa palatia
Craci laurigeri, dulce ferunt epos.
Suauis, KROCZOVII dum Chelys intonat,
Et blando modulans murmure barbitus.
Ergo Pierides ſumite lauream,
Flores Palladios carpite feruidè,
Frontem liliolis texite candidis,
Iam collum niueis nectite floribus,
Iam lauro roſeâ, cingite tempora
Tincto KROCZOVIO, Palladis artibus:
Muſæ Caſtalidum Pegaſeum melos
Fundatis ſapidè; lacteolis Chelym,
Tangentes digitis: ſurgat amabile
Nomen, KROCZOVII, ſydera ſub poli.
Ergo, lauriferæ, dum tibi Muſa fert,
Felix percipito, munera Palladis.
Nam te Theſpiades rupibus in ſacris
Parnaſsi celebrant; docticanâ lyrâ;
Et partam, cytharam Cynthius occinens,
Nunc ſudore tuo, laudat, adoream.

IN

IN STEMMA ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS.



Ferrea ſceptra, truci, dextrâ, tenuêre Tyranni,
Queîs malè crudelis, iuncta bipennis erat.
Aſt ô Leche, Tibi M*ATER dat laurea ſceptra,*
Non premit, aſt donis, præmiat illa bonos.

Sub

SVB FELICIBVS AVSPICIIS

Magnifici & Adm. R̃ndi. Dni.

IACOBI VITELLII,

Sacræ Theol. Sententiarij ac Professoris,

Canonici S. FLORIANI, Collegij

Vladislauiani Prouisoris,

Almæ Acad: Crac: studij Generalis

RECTORIS

Vigilantissimi.